













DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE INDIÆ  
ORIENTALIS,

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

HENRICI ALBERTI SCHULTENS,

A. M. LINGUARUM ORIENTALIUM ET ANTIQUIT.

JUD. PROFESSORIS ORDINARII M. S. S. LE-

GATI WARNERIANI INTERPRETIS.

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,*  
*& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite  
ac legitime consequendis,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

THOMAS GIRDLESTONE,

ANGLUS.

*Soc. Reg. Med. Ed. Soc. Extraord.*

*Ad Diem XVI. Maji MDCCLXXXVII. H. L. Q. S.*

---

LUGDUNI BATAVORUM,  
APUD FRATRES MURRAY,

MDCCLXXXVII.

Οὐ πόλημόουντες, πολεμούμεθα, ἐχθρον ἔχοντες  
τὸν θῆρα, λυμαινόμενον τὰ ποίμνια. τέτρωκε πολ-  
λους. δυσιατους ἐποιήσε. πικρὰ βέλη βελῶν κατα-  
πέμπει.

ΗΙΡΡΟΣ. Ορ.





ADAMO GORDON,

REI MILITARIS DUCI,

NEC NON

DUCALI STIRPE NOBILITATO;

HONORABILI

CAROLO STUART,

PEDITUM PRÆFECTO

ETC. ETC. ETC.

ANDREÆQUE GORDON,

COHORTIS xxvi. IMPERATORI;

DENIQUE

JOANNI ROSE,

ARMIGERO APUD

PUTNEY.


IN COMITATU SURRIA  
HAS MEDICINÆ PRIMITIAS IN GRA-  
TI ANIMI TESTIMONIUM.

D. C. q.

AUCTOR.



P R O C E M T U M.

is quidem temporibus tam longe lateque patent terræ quas sub ditione tenent Britanni in Asia, quod ad earum præsidium quam plurimi nostratum, magna constantique copia, ad Indos, fere in dies, deferantur necesse sit. Quoniam præterea ibi, coelo novo et inimico, multisque aliis infestis causis, regioni propriis, obnoxii, non mirum quod multi eorum vitam cum morte cito commutent. Hoc igitur exitium immane sine dubio conditioni eorum peculiari magna ex parte tribuendum est.

Hisce autem morbis, in Europa, nondum satis cognitis, causisque excitantibus haud accurate dijudicatis, frequentiam & cladem a supra dictis multum accelerandas credere fas est.

Inter morbos qui Europos vexant, hepatitis frequentissima & forsan funestissima est: itaque cogni-

tio ejus accurata summi momenti omnibus in ista regione rem medicam colentibus consideretur oportet.

In Anglia tres tantum de hocce morbo tractatus extiterunt, illique valde deficientes, ut pote a nauticis chirurgis traditi, quibus perpauca tantum ejusdem exempli mari observare, occurrebat. Sed hæc nec numero, nec varietate specierum, nec symptomatum asperitate, ullo modo comparari debent illis, quæ apud castra grassata sunt. Cum cura mille militum, regionum, Indiam attingi, multi præterea ægroti aliarum cohortium regiarum mihi commissi sunt. Tali munere insolito fungens, hepatitida in omnibus ejus variis formis videndi, & ad phænomena quam plurimum, animam advertendi occasio mihi data; & ad mutationem usus medici audendam talem nempe qualem posteriores novem menses, quos in ea regione remansi, felicem inveni, ab hoc inductus fui. Quapropter ceteræ investigationes eorum quibus similes occasiones, ingenium acrius, feliciorque industria tribuantur, quanquam haud sine defectu, spero quæ proferam in medium sufficient.



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

HEPATITIDE INDIÆ  
ORIENTALIS.

---

**Q**uiunque, medicos scriptores consule-  
rint, aut cadaverum incisionibus in no-  
socomiis multum operæ dederint, quam  
plurima morbida jecora detecta fuisse,  
de quibus ante mortem nulla omnino suspicio abor-  
ta erat, facile agnoscent. Permulta horum exem-

plorum, per stadia morbi diversa transiverunt, de quibus signis in descriptionibus nosologicorum, haud satis præcautum est. Nulla igitur definitionum ratione habita, ad fidelem narrationem hepatitis progrediar, sicut in quam plurimis militibus & præfectis, sub & post expeditionem militarem viginti duorum mensium, in regionibus Indiæ Carnaticæ & Tanjoreæ, mihi, sese manifestavit. Hic morbus milites præ cæteris, & eos præcipue in Coromandelæ regione, ob militiam exercituum ibi valde, gravem sæpius aggreditur.

In Bengala, quia aqua omnes gestæ sunt res, in naviculis a radiis solis defensis, & quia omnibus com meatibus melius, & majore cum cura instruuntur, morbida jecora rarius infestant.

Si ad hujus morbi historiam attendamus, tam acutus esse non apparebit, quam fere creditur, sed chronicum stadium, hebdomadas, menses & aliquando annos permanfurum posse, imo sæpissime revera abire, & nimio potu, aut usu hydrargyri inepto; acutum subito evadere. Indicia vomitionis & singultus, aut doloris lateris, aut hu-

meri, quæ hunc morbum, fere necessario comitari creduntur, in quam plurimis morbidorum jecorum, quæ per omnia stadia diversa progressa sint, adfuisse non invenientur.

Omissa prorsus nostri morbi *Pathologia generali*, *phænomena* in tria stadia distinguam, eaque in ordine quæ apparuerunt, viz. chronico, acuto, suppuranti describam. Quæ stadium acutum, non esse etiam suppurans probent, mihi defunt. Sed cum illud peculiari rationi medendi semper, & hoc, vix ulli cederet, dijudicatio eorum aliquando necessaria videatur.

## I. vel STADIUM CHRONICUM.

Aliquamdiu, antequam dolor humeri & lateris exasperatur, vires animales multum imminuuntur: Alvus fit valde incerta, aliis diebus fere sistitur, aliis profusa acribus egestis: Vultus tumidus maculis suffunditur: Tunicæ albugineæ oculorum subalbidæ sunt: Integumenta omnium corporis partium, præsertim muscularium, sicca & scæda ap-

## 6 DISSERTATIO MEDICA

parent: Urina plus minusve colorata & parca: Exhalatio per cutem tenuis & inequalis: Lingua cum siti arida: Appetitus maxime inconstans; sæpe nausea subito evanescens ante prandium, cui sensus famis succedat: Hæc omnia indicia cibo assumpto paucas horas leniuntur, quæ aut cardialgia aut tormina sequuntur.

Pulsus parvus, durus, & frequens, præcipue sub noctem: Gingivæ multum durefcunt. Humeri quotidie magis atque magis alati evadunt: In regione lumbari, nonnullis dolor est obtusus.

Postquam ista aliquamdiu perstiterunt, partis hepatis durities inducta ægrum ponendo cum capite depresso, & genibus parum elevatis, interdum sentiatur.

In hoc statu æger diu sæpe manet, donec dejectio animi, quæ semper major vel minor hunc morbum comitatur, illum impellit vino liberius indulgere, quod stadium morbi acutum plerumque accelerat.



## II. vel ACUTUM STADIUM.

Vultus, cui antea species adeo mutata, interval-  
lis magis solito rubescit. Alvi dejectiones parvæ,  
frequentes & dysfentericæ.

Dolor humeri, & lateris, qui antea obtusus, &  
incertus, præcipue illius, valde acutus subito eva-  
dit. Cum dolor humeri adest, isti jecoris parti  
maxime morbidæ, semper respondet, magis poste-  
rior vel anterior ut partes anteriores aut posteriores  
hepatis invaduntur; quodcumque sinister lobus je-  
coris præcipue laborat sinister humerus cum eo sem-  
per consentit. Multis invasionibus hujus stadii,  
in omnibus motibus diaphragmatis, dolor humeri,  
quem, tussicula molesta & quasi prehensio halitus  
sub omni inspiratione & dolor accumulatus regione  
hepatica contacta comitatur. Nunc in morbidum  
latus, nunc in adversum, sed sæpius in dorsum ca-  
pite parum depressio recumbere facilius est. Hepa-  
titis, in hoc stadio æque frequenter dysfenteriâ vel  
tenesmo solummodo ac fixo dolore humeri, impe-

## 8 DISSERTATIO MEDICA

tum facit. Quandocunque cuivis hoc modo invadi accidat quia ut verum morbidum hepatis signum, non habetur, morti sæpe occumbitur.

Insequitur quod salibus mediis vel aliis lenibus catharticis reficiatur, donec stadium acutum removeatur, & æger ad chronicum stadium, in quo ante fuit reducatur, in quo statu manet secretionibus abnormibus, vultu luridô & magis atque magis quotidie contristatô. Multi tam adversæ valetudinis, unum alterumve annum experti, ita desperaverunt ut necem sibi consciverint.

Sæpenumero astringentium aut amarorum usus, morbum ad tertium stadium accelerat, sub quo infelices ægri morti tristissimæ cedunt.

### III. vel SUPPURANS STADIUM.

Diebus vel hebdomadis aliquot, post remissionem symptomatum dysentericorum, æger delassatus purgatione alvum cohibere vult. Tunc medicamenta aut amara præscribuntur, quæ cito laxitatis finem faciant, & haud ita multo post, tussis graviter  
fo-

sonans, quasi profunda, ab isto pulmonis latere, in quo hepar maxime afficitur, eum invadit.

Hac tussē incipiente, maxime pars illius lateris hepatis, a pure, in intima ejus mole, formato, jam fere tabescit. Raro hoc pus ejus formationis suspicionem usquedum, diaphragmate & pulmonibus aut cavo abdominis erosus huc vel illuc prolabitur. In hoc stadio æger suffocatur subito profluvio puris in pulmones, vel tardius effusi fame necatur: Omne nutrimentum, quod cum aviditate, & spe citi remedii sumit, fermentat & torminibus & borborygmis inquietatur, donec mors vitæ miseræ finem imponat.

Suppurationes Exteriores nonnunquam conspiciuntur, ubi nulla astringentia adhibita fuerunt, quæ facile incidantur & curentur: sed quæ succedant subitæ alvi constrictioni, quam tussis graviter sonans comitatur, æque ad infausta certe ferunt, cum exterius appareant, ac cum partes internas penetrent.

Talis plerumque hepatitis apparuit. Sed aliam sæpe induit formam quamque multos annos rete-

nuit, nec tamen stadiorum magis acutorum speciem assumpsit, in iis Europeis qui annis in terris ad istas regiones advenerant, & præcipue indigenis. Hæc forma est febris intermittens, vel remittentis abnormibus accessionibus, quas nonnunquam horroris, sæpius tantum caloris sensus præcedit; nunquam autem, nisi pulsus minor & frequentior fiat, & duratio calidi & sudantis nullam longitudinis vel brevitatis frigidi stadii certam rationem servavit.

(\*) Febris montana nominatur, quia endemica, in partibus Carnaticæ excelsioribus est, & plerumque immedicabilis putatur.

Hepata morbida fuerunt, præsertim sinistri lobi, in omnibus exemplis quæ mihi occurrerunt, & ægris, tantum solito more quo morbida hepata tractando vires revocatæ sunt. Auctores, sæpe vomitionum, quando partes concavæ, & singultuum  
men-

---

(\*) Rectius forsan febris *symptomata vel heptica* dici potest.

mentionem faciunt, quando partes convexæ afficiantur. Sine horum symptomatum ullo, utrasque partes suppurantes vidi, & signa sunt, quæ in ullis exemplis hepaticis vix unquam in hepatitide mihi sese obtulerunt.

Nausea & anorexia in posterioribus stadiis morbi, multo magis communia sunt.

### RATIO SYMPTOMATUM.

Pars convexa hepatis adhærens peritonæo dolori lateris causæ esse dicitur quare æger in latus affectum recumbit.

Requiescere vero minus difficile fit, in adversum latus, ubi pars convexa laborat.

Dolor in regione epigastrica, a recenti scriptore iis pectore angusto, & in lumbis, pectorosis esse dicitur. Sed hi dolores, in iisdem, sine ulla distinctione formarum, alternare, constanter visi sunt, itaque hæc explicatio nequaquam accipi potest. An dolor humeri, ab adhæsione diaphragmatis, ut alii crediderunt, vel a junctione phrenici nervi, cum

tertio vel quarto cervicalium, oriatur asseverare nequeo; sed quod ab hepatis incremento haud semper pendeat, summa fiducia affirmare possum, cum multa jecora maxime aucta viderim ab abcessibus ibi formatis etiamsi hoc symptoma ab ægris nunquam observatum fuerat.

Descensus septi transversi liber impeditus, a quo resperatio valde pendet dyspnæam efficere potest.

### TEMPERAMENTA OPPORTUNA.

Quamquam nulli, post ætatem puberem causarum excitantium actioni objecti ab hoc morbo immunes sint, temperamenta sanguinea, ei magis opportuna fuisse, observavi. Post ætatem pubertatis dico, quia hunc morbum impuberi nunquam accidere vidi. Viginti tympanistarum, centesimæ primæ legionis, impuberum, non ullus hoc morbo laboravit tametsi continue in campis fuerint, & itinera quam ulla alia pars legionis, melius fecerint.

## C A U S Æ R E M O T Æ.

Ut exercitus sequentibus obnoxius fuit, ea ut causas remotas ponere ausus sum, nempe

1. Torridam regionem.
2. Injurias cerebri a radiis solis illatas.
3. Liqueurum meraciorum usum immodicum.
4. Animi affectus.
5. Exercitationem vehementem
6. Aquas impuras.
7. Inopias vegetabilium.
8. Subitam post inediam repletionem.
9. Hydrargyri usum pravum.

## T O R R I D A R E G I O.

Cum calor omnium stimulorum maximus est, omnes secretiones augendo, optima sæpe effecit: Sed tametsi calor modicus; non secus ac modica potatio, salutaris sæpe fit, extremus calor æque ac excessus bibendi, corpus languidius & itaque

secretiones debiliores semper reddunt. Quum autem circuitus per hepar, naturaliter languescit hoc organum istos effectus præcipue sentit.

### I N J U R I Æ C R A N I I.

In caput recti affulgentes solis radii, cerebrum nimis stimulant, & necem subitam sæpe inducunt. Quandocunque homines, lenioribus *in* *tribus* *solis* evaserint secretiones bilis adauctas, quas æque magna inopia secuta est, sæpe primo experti sunt.

Idem frequenter accidit in fracturis cranii, primo profusio bilis est, tunc minima, & interdum abscessibus eam sequuntur, de quibus a Pigreo, Pareo, Greame, Binosquio, Marmanno, Petro de Merchittis, Charriere, Job. Mecheriano, Bianchi & aliis auctoribus, exempla prolata sunt

### A F F E C T U S A N I M I.

Melancholia, quæ in hepatitide obtinet, deminutio bilis in melancholia; aucta secretio bilis ab ira,

ab



ab ictibus solis & ab injuriis cranii, cum istis quæ sequuntur, omnia *synchronicam* existere affectionem, inter hepar & cerebrum probare tendunt.

Itaque mihi persuasum habeo quod post radios solis, & excessus liquorum meraciorum omnes affectus animi deprimentes certissimæ causæ remotæ hujus morbi considerari debeant. (\* )

### A Q U A I M P U R A .

Quod, in oriente latere Minorcæ, ubi æquæ sunt impuræ lienes & jecora tumefacta & hominibus,

---

(\* ) Melancholia quæ, homines in Britannia, post vitas in India impigerimas, sæpe comitatur; ad causas morales plerumque solet tribui.

Sed forsitan causæ physicæ eam sæpius producant, quam fere creditur. Moestitia quædam a morbido hepate non sejunganda esse videtur. Pauci forsitan quorum, postquam radiis solis a longis itineribus, in ista regione diu expositi fuerunt, jecora in primum morbi stadium non lapsa sunt, inveniuntur. Sed fac ut res non ita sit. In hoc tentamine prius ob-

bus, & brutis communia sint, Cleghorn observat. Aquarum Carnaticarum pravitas, inter causas igitur hujus morbi ponatur remotas, præsertim si consideremus, hominibus, ad summum regionis calorem arcendum, magna earum copia opus esse.

### V I C T U S M U T A T I O.

Omnis mutatio cibi a diu assueto regimine in ductus biliales ut stimulus agere videtur.

Præfectis & militibus gregariis, in India Orientale captis, & in vincula, a Teppoo Saib, plurimos  
men-

observatum est, quod quia melancholica temperamenta torridæ regionis laboribus melius resistunt, itaque hominibus istis præditi ad patriam revisendam prospicere magis secunda spe licet. Iique ad Europam raro redeunt, donec luxuriose vivere res finunt, unde omnibus vitæ stimulis violentissimis affucti in regione habitatum veniunt, in quo multo majore exercitatione uti debent, ut cœli viribus obviam eant, quæ eorum nunc deprimuntia sunt.

menses coniectis, oryza aqua & capsicum solum erant permiffa.

Liberati, diarrhæa adeo laborabant, ut cibum animale, nifi minima in quantitate, devorare haud poffent.

Ut classis Britannica, cum com meatibus nondum appulerat, exercitus cibo animali, perpetuo vesci coactus est. Indigenas quibus mos est oryza vivere, hæc mutatio sævius adhuc adorta est. Idem etiam navigantibus firme femper accidit, qui plurimos menses cibo animali nutriti fuerunt; quam primum portum attigerint, vegetabilia bilem tam large proritant, quam eos de tali victu cavere compellunt. Ad usum militum centesimæ primæ legionis, classiariorum brassicæ ficcatae comparatae sunt. Aliquot menses iis abstinuere, quandoque comedere inciperent, omnibus ad unum liquata fuit alvus.

### MAGNA, POST JEJUNIUM LONGUM, REPLETIO.

Milites quia sæpe longis jejuniis vires frangun-

tur, ad nimium cibi sumendum, propensi sunt. Hanc esse causam maxime debilitantem, ab hoc recenti & percognito facto, confirmare possum. Inter famem quæ apud Madras infestissime sæviebat mense Octobris anno millesimo septingentesimo octogentesimo secundo, multi indigenarum liberi, qui præ inedia valde erant macilenti, ad mensas Anglorum admissi sunt. In omnibus quibus diutius eibus defuerat, viscera ex voracitate jam enormi in morbos dilapsa sunt, abdomina intumescebant, & glandulæ induratæ tactu percipiendæ erant.

Quoniam inter rationem medendi proferendam de hydrargyri usu, malisque ex eo pravo oriundis latius differendum erit, eo usque quæcunque ad ista pertinent differemus.

### CAUSA PROXIMA.

Scientia causarum proximarum, tam parum cognita, aliquid de hac re tradere vix audeo.

Cum autem de hoc non nihil dicere mos est sequentem conjecturam proponam.

A vi debilitata corporis, præcipue extremorum venæ portarum, secretio bilis imminuta fit, & quæ fecernitur, plus aquosa, & dotibus solitis bilis, minus imbuitur.

Quibus deficientibus chylificatio imperfecta fit, & exinde omnia quæ in intestina morbida signant ortum ducunt. Ab auctoribus notatum est, incisa cadavera eorum, qui malis dysentericis succubuerunt, morbida jecora exhibuisse. Tales quidem species huic explicationi respondent.

In multis enim exemplis chronicarum dysenteriarum, jecora hoc modo affecta inveni.

Spasmus igitur intestinorum, in chronicis dysentericis, ut effectus depravatæ bilis, & nequaquam causa hujus morbi tantum habendus est.

Quanquam, tormina & spasmos, sales medii iterum, iterumque usurpati sæpe sublevent, nunquam sufficiunt ad morbum penitus tollendum, nisi in ductibus biliaribus novam & continuatam vim inducere possint, ita ut fæces crocea bile copiose & constanter tincta dejiciantur. Ad hanc sententiam confirmandam, addere licet, quod dysentericæ pertinacis-

ciffimæ, eidem rationi medendi, ac hepatitis, prompte cederent, postquam omnis alius modus adhibitus fuisset, nec aliquid commodi attulisset. Ex quantitate bilis secundâ valetudine secreta, apud venam portarum in poros biliarios desinentem, secretio maxime promoveri creditur. A bile in hepatitide gradatim diminutâ, æque ac a viribus corporis pedetentim collabentibus, venæ portarum extrema hujus morbi sedem existere credamus fas est. Quia paucis nervis hepar instruitur; vim vitæ ibi non valde pollere expectandum est: Adde huc vero, quod quia vena portarum a corde distet minus etiam causæ est vim a tergo expectare. Cur igitur vis corporis diu & multum imminuta, morbida jecora in India semper induceret, tam difficile explicatu nobis non videtur quam cur similes causæ, eadem in aliis regionibus frequentiora non fecerint.

### D I A G N O S I S.

Quando dolor humeri & lateris adest morbum jam invasisse pro certo indicat; sed utpote quod ne-  
qua-

quaquam constans sit, signum *pathognomonicum* existimari nequit. Humeri morbo progrediente plane alati fiunt, sed hoc, forsan in morbidis aliis affectionibus, accedat. Durities gingivarum morbum semper stipat, sed hæc cum secunda, tum etiam adversa valetudine, multis communis est, itaque per se diagnosin statuere non potest. Digitus in hypochondria impactus, sensum doloris vel pruritus huic vel illi humeri interdum inducit. Nobis igitur in universum persuadetur, quod de præsentia hujus morbi, signis in unum collatis & una perpensis solum certiores fieri possimus; cum sine dolore humeri & lateris, tam sæpe adfit, & quum durities gingivarum, alatique humeri, per se non omnino, quomodo hic ab aliis distinguatur monstrant.

## P R O G N O S I S.

Prognosis primi stadii felix faustaque sit forte, si curationi operam recte damus.

In secundo stadio haud minus impavide præsagire possumus, quando a ratione medendi, quam com-

mendaturus sum, lingua scabra & gingivæ minus duræ fiant. Lingua sæpe nitida in Tertio stadio persistat & gingivæ molliri nequeunt. Prognosis tertii stadii secunda nunquam esse potest nisi, suppurationem parvam & extram fore pro certo sciamus.

### R A T I O M E D E N D I .

Ratio medendi in hoc morbo est, ut vis corporis & venæ portarum revocetur. Hoc in primo & interdum secundo stadio morbi, cælo mutando causasque cæteras remotas evitando, sæpe effici potest.

Sed omnes modi communes in septentrionalibus regionibus usurpati in his exemplis parum profecerunt.

Secundum stadium, aliquando ad primum redactum fuit, salibus mediis, ut *sale cathartico amaro* in quantitibus exiguis, quovis tempore adhibito, ita ut eorum actio regularis & uniusmodi conservetur.

Vitriolicum acidum sine fructu sæpe tentatum est: Cibi appetitum præter naturam induxit & progressum morbi plerumque acceleravit. Corticem & amara



omnium generum similes effectus sequebantur.

His remediis diu, haud idoneis repertis, medici hodierni ad usum hydrargyri confugerunt; id in corpus cum per os, tum per integumenta introducetes, & hoc quidem medicamentum multo prosperius cessit.

Cito post adventum meum in Indiam, multa exempla ita tractata, manifesto cum commodo vidi. Duram gingivam hunc morbum semper comitari, observatum erat antea. Multa exempla contigerant antequam a me observatum esset, ægro subsidium raro, si unquam, allatum esse, donec gingivæ ulceratæ vel spongiosæ evaderent, & cum ita affici non possent, suppurationem ea fere semper adortam esse. Hinc spes orta est, statum hunc gingivarum, certo mihi signo fore quo judicaretur, quando copia hydrargyri idonea per corpus erat diffusa. Sed morbus toties recedivus existens & abscessus qui inopinanter invaserunt hunc esse modum, malum magis levandi solummodo quam penitus curandi, mihi cito indicia haud dubia fuere. In hoc statu incerto, parvam hydrargyri quantitatem per os introductam, gin-

gingivas valde affecisse, sæpeque etiam vix ulla alia mutatione quod oculis detegeretur producta, observando, attonitus fui: Contra autem largâ quantitate ad integumenta infricatâ tempus quo sub alia ratione gingivæ afficiebantur multo protractius, & mutationes in corpore excitatæ multo majores fuere. Ab hac observatione, mihi in mentem suspicio venit, quod hydrargyrum ore assumptum antequam corpus satis afficeretur, una cum secretis præpropere proflueret, integumenta immixtum larga quantitas intus retineri posset, priusquam gingivæ affectæ fierent; itaque si ullus fructus a hydrargyro in hoc morbo esset expectandus, hanc rationem unde quantitates majores in corpus introduci possent naturaliter adoptemus oportet.

Duo sequentia exempla a viris generosis ipsis mihi relata multo hydrargyro in curatione hujus morbi opus esse credendi, primum in causa erant.

### P R I M U M.

Mense Sept. anno 1783. annotatum.

Præ-

Præfectus D. C. stipendia in India faciens Scotus robustus, annos nunc sexaginta natus, post adventum ejus in Indiam, anno secundo, cæpit laborare hepatitide, eique hydrargyrum profuit. Hoc tantum ore exhibito gingivæ sæpe affectæ sunt. Subsidium, nihilominus quod ab ejus usu semper expertus est, eum duodecim fere menses, in eo utendo quam multum perseverare impulerat; quo tempore dolor humeri et lateris desivit. Octodecim anni delapsi, attamen morbus eum nunquam iterum adortus erat. Incommodum vero ab hoc longo hydrargyri cursu ortum, gingivæ enim semper abhinc uliginosæ fuerunt, & saliva ei præter naturam stillavit.

## S E C U N D U M.

Mense Septembris anno 1783 annotatum.

Legatus cohortis L. homo gracilis (tempore quo sequentia mihi retulit annos viginti octo natus) postquam duos annos in India peregisset, dysenteria laboravit, ei vita desperata donec quidem chirurgus arcessitus hydrargyrum adhibuit. Hoc remedium

D

eun-

eundem adeo sublevavit, ut in eo utendo perseveraret, tantaque copia quantum gingivæ paterentur, donec morbus removeretur. Decem per annos postquam istud medicamentum omisisset optime valuit. Dentes vero & gingivæ nunquam post speciem naturalem exhibuere, & saliva adhuc copiosius profluens, permanfit.

Exemplum quod jam memoratum est, non solum multi hydrargyri adhibendi, verum etiam jecora omnium dysenteriâ peremptorum in posterum perscrutandi, necessitatem, ut medendi ratio accuratius adhuc detegeretur me commonuit.

Occasio, bonos effectus hujusmodi inquisitionum certiores faciendi paulo post, quæ statim posthac memorabuntur, oblata est.

### T E R T I U M.

Præfectum regium, post expeditionem militarem sedecim mensium, inter quam, iteratas ægrotationes sustinuerat, signa dysenterica adorta sunt. Cum octo dies, salibus mediis, fotibus, clysmatibus,  
 opio,

opio &c. frustra usus esset, mortem ei imminere credebatur. Eum tunc visi, maloque ejus perpenso, manuque impressa dextrum jecoris lobum plane morbidum inveni: hydrargyrum statim infricari, & inde illi cito plus levaminis adferrebatur quam unquam ante, a primo morbi impetu expertus erat, præscripsi. (\*) Frictiones fauste continuatæ; sed pauca grana calomelenos post nonam administrata, tam subito & vehementer gingivas afficiebant, quod ut frictiones omitterentur, prorsus necesse esset. Dyenterica symptomata aberant, sed os complures dies ei valde molestum fuit. Ad coloniam in ora maritima Danicam ut vires reficerentur missus est. Vix os dolore cessaverat quando acerbâ dyfenteriâ & dolore sinistri lobi hepatis iterum corripiebatur. Quia hunc dolorem spasmus intestinorum procreasse existimatum est, ad clysmata, fôtus, opium, & evacuationes rursus decursum.

Æger

---

(\*) His in omnibus exemplis unguentum ex partibus equalibus hydrargyri & axungiaë compositum.

Æger ab hisce omnibus nil sublevatus, quamquam contra consilium omnium medicorum frictiones resumere statuit.

His tam cito quam antea a malis liberatus, & ad secundam valetudinem revocatus est, eas tali ratione quali gingivæ permitterent, tantum continuando. Abhinc optimâ semper gaudebat valetudine, etiam in India & nunc in Hibernia sui casus testis vivit.

Subsidium ab his frictionibus perceptum subita ulceratio gingivarum a calomelane inducta, & necessitas quæ ægro ipsi frictionibus iterum utendi, fuit, primas suspiciones hydrargyri per os exhibendi injecerunt. De Prospero ad frictiones regressu hujus præfecti, tempestive satis certior factus sum, ut me ipsum exhortarer ad frictiones in sequenti exemplo iterandas, iisque in utendis perseverandum.

#### Q U A R T U M.

Præfectus Regius post obsidium oppidi *Cuddu-*

*lo-*

lore chronica hepatitide laboravit ; nihilominus in castris permanfit , donec tandem dysenteria illum aggressa est. Quatuordecim *Unguenti Mercurialis* drachmæ, bis die repetitis <sup>a</sup> una <sup>sine</sup> gingivis affectis, dysenteriam summovebant.

Circiter duo menses post , dysenteria iterum invasit , & insequente hebdomada frictionibus usurpatis iterum sublevata est.

Hebdomada una post remissionem frictionum elapsa , subito levioze solum siniftri lateris cervicis spafmo , quafi aliquantulum contorqueretur ea , (ut fibi vifum est) angebatur. *Topicæ* applicationes opii & liminenti volatilis , calidi panni lanei fotuum , fine levamine partibus admotæ funt. Dolor deinceps ingravefcebat , & post horas duas , fpasmodicus dolor , tam intolerabilis , circa finiftrum hypocondrium in ventriculum fe extendens , quam in cirvice & clavacula vexabat. Quia æger tanta hydrargyri copia ufus erat , fanguis ei detractus. Hoc , pulfum frequentiorez & dolorem adhuc intolerabiliorem fecit. Quum dysenterica figna omnia nunc recrudescerant , parva falis cathartici quantitas , fine fructu

ullo tentata est. Ad hydrargyrum, ut antea, per frictionem novem dies exhibitum se recepit, sibi autem haud profuit, nec gingivæ affectæ fuerunt.

Ægro nunc sollicito, hydrargyrum per ore assumptum est. Aliquantulum calomelanos ulcerationes gingivarum, sed uliginem vel remissionem signorum nullam produxit. Hydrargyrum ob has ulcerationes circa gingivas intermissum est. Dolore violentiore, & quantitate hydrargyri jam administrata immensa; æger fidem huic medicinæ nullam adhibere cæpit.

Sinapis cataplasma, ad partem affectam tunc applicata sunt: diu ferri non poterant, nullum subsidium præbebant. Frictiones calidi olei camphorati sine fructu quoque adhibitæ sunt.

Exemplum proximè memoratum prosperè cessisse, nunc intelligens, quamvis æger multum debilitaretur, usquedum gingivæ ipsæ afficerentur, per integumenta tantummodo insinuare mecum decrevi.

Unciæ dimidium *unguenti mercurialis* fortissimi, circa dorsum, abdomen & femora infricatum est. Ante hanc frictionem finitam, æger adeo sublevatus



tus est, ut extento corpore pronus aut resupinus quoquomodo, nisi in morbidum latus, decumbere possit.

Drachma unguenti ejusdem nocte maneque, fauste repetita est: Et gingivæ circa duodecimam frictionem sat uliginosæ evaserunt. Inde dolor cessavit; pulsus mollior, & tardior factus est; ægerque cito meliore valetudine, quam unquam antea in India, usus est. Annum & amplius, in variis partibus ejus regionis, sine recidivo morbo commoratus est.

Non diu uliginosæ gingivæ fuere, nec saliva tam præter naturam stillabat, quam in iis, quibus ore hydrargyrum datum esset. Nunc in Europa degit, nec illi cœli mutatio incommodo est.

Ab hoc, & quæ supra narrantur omnino necesse esse, inter frictiones hydrargyrum ore administratum, omittere ratus sum.

Ut, hæcce opinio bene confirmata, necne esset, experirer, optimi *unguenti mercurialis* copiam satis magnam comparavi, & variis hujusmodi exemplis, una cum frictionibus a cæteris remediis minime ad-

jutis, ejus periculum feci. Gingivas ita nunquam tam cito ulceratas fieri, tunc vero morbum penitus, & absolute extinctum, observabam. Antequam afficerentur gingivæ, duos diesve tres, æger interdum sublevatus est. Subsidium vero sæpius non expectandum erat, donec gingivæ uliginosæ evaderent. Tuncque secretiones, appetitus, color & cætera munera vitæ, cito reddita sunt. Observavi etiam, quod hydrargyro ab ventriculo dato gingivæ ulcerosæ duræ essent, multisque in partibus, colorem haberent naturalem; in aliis partibus ulcera valde molesta & ea saliva large profluens comitata est:

Contra infricatio hydrargyro solummodo ulcera nunquam subito aborta sunt, sed a tumefactis gingivis & mutatione earum colore tam regulari semper prænunciata fuere, quod iis facillime occurrere liceret. Postquam adjutus ita experientiâ in India menses novem moratus sum: Et omnia quæ postea pertinaciora & inveterata hepatis mala mihi observanda & curanda se obtulere, sine suppuratione ita sublata sunt, & dum ibi manerem, nullas passa sunt iterationes.

Quæ

Quæ, iis jamjam memoratis adjungam hoc; nempe.

## Q U I N T U M.

Legatus C. in India stipendia faciens, annos tunc circiter viginti quinque natus & qui ibi quinque annos fuerat, usque ab adventu, iteratis accessionibus hepatitidos laboraverat. Frictiones & *pilulæ mercuriales* ei semper profuerant usque ad paucas hebdomedas, antequam viderem. Tunc parum adjutus inde, solita remedia iteraverat; os vero nimis ulcerosum, quo minus perseveraret, prohibuit. Cum nullus medicus adesset sales medios frequenter assumpserat. Os ex salibus sublevatum est; morbus nihilominus mansit. Post circiter hebdomidam, mihi commissus est, & drachmam *unguenti mercurialis* nocte maneque statim infricandam curavi. Unciæ fere tres ungt. hoc modo adhibitæ, antequam gingivæ afficiabantur, tunc intumescebant; rubidumque colorem induebant.

Gingivis ita regulariter affectis, dolore prorsus

caruit æger, & meliore valetudine, quam uuquam ante in ista regione fruitus.

Post hæc, nostra cohors in nave Britannica *Vansittart* dicta, ad Bengalam advecta est. Hæc navis a Batavia nuper redierat, & multi nautarum tunc chronicis dysenteriis ibi contractis, laborabant. A Chirurgo istius navis ut de quodam eorum gravissime ægrotante confuleretur, vocatus fui. Multis similibus exemplis præcognitus hanc pronuntiare hepatitida non dubitabam.

Chirurgo, autem rem ita esse, persuadere, nequibam, quoniam ægrotus, dolore humeri, aut lateris, singultu aut vomitu nunquam erat affectus.

Biduum post, tumor magnus, in regione dextri lobi hepatis ejus, sententiam meam confirmavit. Tumore inciso, puris libræ tres hepate statim effluxere.

Homo paucos post dies morti occubuit. Ægrotis reliquis, ut hepatitide laborantibus tractatis, vires refectæ sunt.

Cum tot bonorum effectuum exemplis traditis, ut quædam de modo ejus operandi ratio reddatur, fortasse expectetur.

Quum

Quum nulli existant stimuli mihi noti qui actionem vaforum auctam tam diu quam hoc medicamentum sustentare possunt, hanc esse causam, quod idem omnibus aliis stimulis præstat, & viribus tam insigniter sibi peculiaribus gaudet, mihi persuasum est. Hydrargyrum autem ventriculo ingestum illam actionem diuturniorem, ad curationem hujus & forsitan omnis morbi tarde progredientis adeo necessarium, producere, & conservare, nunquam potest.

Nihilominus hoc quidem medicamento optimo, quamvis ad extremum debilitante, nimis cito nunquam utendum, adhibito autem ei acriter insistendum mecum pro rato est.

Usum parvarum calomelanos quantitatum, ut *prophylaxis* hujus morbi inducendi causam sæpe extitisse existimo.

Nemini igitur unquam suaderem ut ad hydrargyrum confugerit, quo huic morbo in primo stadio, occurrat; coeli enim & diætæ mutatio sufficiat.

In secundo stadio, modus medendi optimus, ac certissimus, idem infricare apparet.

## CONSILIUM MEDENDI GENERALE.

Ne actio hydrargyri minuatur acida evitari debent. Cibis ex carnibus confectis optima fere diæta est. Non minus quam drachma fortissimi *unguenti mercurialis lateri*, vel alicui aliæ superficiei latæ nocte maneque impense affricari debet.

Dolore lenito, vel ab hydrargyro omnino sublato, idem usus & hæc auxilia donec gingivæ afficiantur, omitti haud debent. Frictionibus nimis cito omissis, iterando morbo, & supparationi, æger semper magis obnoxius est.

Nonnunquam quando quæ ab hydrargyro postulantur fere adepti fuerimus, id est quando gingivæ afficiantur, super totum corpus erysipælatoides erumpit. Istud autem hydrargyro intermisso cito removeri potest. Postquam satis in hydrargyri usu perstiterimus, fæces subinde cum quibusdam gelatinosis hydatidum similibus commistæ fuerunt. Hoc signum raro conspiciendum donèc æger convalesceret, nullam mutationem medendi rationis indicavit.

Le-

Leves dolores musculorum brachiorum, femorum, humerorum, & laterum, aliquid temporis post hydrargyrum intermissum adsunt, nullam vellicationem inter spiritum recipiendum, sicut in hepaticide infligunt, non ulla igitur eorum ratio habenda est. Sed magnum perspirationis incrementum, post hydrargyrum large assumptum, præsertim circa abdomen, summam necessitatem hanc partem, ne vagus aër afficiat defendendi inculcat; ne scilicet venti torridi in ista regione adeo violenti, gravissimos spasmodicos dolores intestinorum inducerent. Cupiditate edendi, post ab hydrargyro cessatum est, quam maxima, ne ventriculus, nemio cibo opprimatur, opus est curâ. Ex uno ferculo carni-um, assatarum, sine adipe aut butyro, cum modico usu plantarum vel fructuum, prandium confici debet.

Vini duobus tribusve cyathis post prandium, nec pluribus, satis diu convalescens utatur. Usus liquoris fortioris cum aqua (Anglice *grog*) & omnes tepidæ potiones evitentur oportet. Ut vini duo triave pocula, post prandium, ad concoctionem accelerandam præscribuntur, haustus tenuioris la-

ticis, non nisi hora interposita, ne vis vini immi-  
nuta fiat, appetatur. Hydrargyrum bilis secretio-  
nem aliquando ita auget, ut usu vegetabilium &  
acidorum, fere vel omnino abstinendum fit. Hoc  
interdum ad quod in India dicitur *fluxus mercurialis*,  
progreditur, & tunc removeri potest, omnibus ve-  
getabilibus & acidis relegatis, paucosque per dies  
cibo carnibus confecto, cum liquoribus meraciori-  
bus aqua commistis, aut vino generosissimo utendo.  
Fluxus similis accidit quando primo calidæ regio-  
nes adveniente ex frigidis attinguntur, qui eandem  
rationem medendi accipit; cum nihil aliud sit, ni-  
si eadem secretio præter naturam aucta usu acidorum  
fructuum, aut plantarum immodico inducta. He-  
patitide sublata, acidorum usus constans, sed cau-  
tus in regionibus calidis, quo minus iterum ingruat,  
morbus optime confert.

T A N T U M.



# T H E S E S.

## I.

*Morbida jecora sine vomitu aut singultu aut dolore humeri laterisque diu sæpissimeque permanent.*

## II.

*Inter hepar & cerebrum synchronicus consensus, præcipue in regionibus torridis, existit.*

## III.

*Hepatitis cum diathesi phlogistica rarissime conjungitur.*

## IV.

*Vomitus absque debilitate nunquam inducitur, quanquam actione vomendi corpus sæpe stimuletur.*

## ERRORES TYPOGRAPHICI,

P. 2. pro anglia lege *Anglia*.

P. 2. pro exsiterunt lege extiterunt.

P. 2. pro ut pote lege utpote.

P. 8. post. medicamenta adde astringentia.

P. 14. pro iċtribus lege iċtibus.

P. 16. in nota pro hominis lege homines.

P. 16. pro multe multo.











